## GEOGRAPHIE DES MITTELALTERS.

*In einer reihe von auszügen aus verschiedenen historischen werken des mittelalters (Gottfried von Viterbo u. a.), die jedoch übel genug geordnet und durch mancherlei fremdartige einschaltungen, z. b. gedichte in deutscher sprache, unterbrochen ist, enthält die pergamenthandschrift n°* 260 *der stadtbibliothek zu Bern vom* 111*n bis zum* 134*n bl. auch eine ziemlich ausführliche erdbeschreibung, oder vielmehr, da nur die einzelnen länder in alphabetischer folge vorgeführt werden, ein geographisches wörterbuch, überschrieben* De orbe et eius diuisione ac vniuersis regionibus tocius mundi. *aus welcher quelle zunächst dieser theil der hs. geschöpft sei habe ich nicht ermitteln können: dafs in dem capitel* De Tuscia *auch alle die hauptstädte dieses landes namhaft gemacht werden, was bei anderen gerade nicht so geschieht, möchte norditalischen ursprung vermuten lafsen: die hs. selbst gehörte früherhin dem convent der cölestiner zu Metz. minder schwer ist die zeit der abfafsung zu bestimmen, obschon es da bei ziemlich weiten grenzen bleibt: nach dem, was cap.* 126 *und* 171 *über Esthland gesagt ist, fällt das werk zwischen Waldemar den* 1*n und Waldemar den* 3*n von Dänemark, zwischen den anfang des* 13*n und die mitte des* 14*n jahrh. ich will nun von den* 175 *capiteln diejenigen mittheilen die auf deutsches land und volk beziehung haben; zuvor jedoch einige irrthümer berichtigen die dem verstorbenen Graff bei excerpierung jener deutschen gedichte (Diut.* 2, 240—266) *begegnet sind. die hs. ist nicht aus dem* 13*n sondern aus der zweiten hälfte des* 14*n jahrh., wie denn auch die historischen auszüge bis zum j.* 1350 *reichen. von den zahlreichen lesefehlern sind die erheblicheren s.* 258 *z.* 14. brunnen: *die hs.* brunen; 260, 5. minnen: *hs.* minne; 9. zů zen andern: *hs.* zůzen ander; 24. we: *hs.* me; 261, 8. gott: *hs.* golt; 18. vôgellin beschihet: *hs.* vôgellin da von beschihet; 262, 5. frôudesenden: *hs.* frôude senden; 15. minnengliche (g *noch*

*durch einen cursivbuchstab bekräftigt*): *hs.* minnencliche; 31. minnen: *hs.* minne; 265, 26. schaden vñ frumen: *hs.* schade vñ frūme. *noch ist übersehen dafs unter Neidharts liede steht* Hie endet der rosenkrantz, *und dafs in dem register zu anfang der hs. die tenzone von den zwei Johansen mit dem namen* Klein heinzelins, *die zwei strophen aber* Gůt wahter wiz *und* Wer nun (*so*) verholnen minnen phliget (*Gr.* 256) *als* tage liet *verzeichnet sind.*

De Alamannia. xiij. capitulum.

Alamannia est regio in Europa nobilis et generosa alemannio[1] fluuio. ultra danubium secundum ysidorum sic vocata ubi illius terre incole prius habitauerunt qui a fluuio Lemanno alemanni dicti sunt. Hec et germania dicta est. vt dicit ysidorus libro .xv. ut[2] dicit post daciam que finis est sicie inferioris. occurrit germania ab oriente habens danubium a meridie Renum flumen a septemtrione et occasu occeanum. et est duplex germania scilicet superior que se extendit usque ad alpes et mare mediterraneum siue adriaticum. Vbi mare magnum sistitur inaquileis partibus per paludes. [3] Alia est germania est terra inclita et tam iuribus quam diuiciis ac bellicosis populis numerosa. Vnde a fecunditate gignendorum populorum a germinando germania est vocata. Vt dicit ysidorus libro .xv. [4] generosos enim et inmanes gignit populos de quibus dicitur in libro ix. ysidorus. germanie nationes sunt multe inmania corpora habentes viribus fortes audaces animo et feroces indomiti raptu captibus et venationibus occupati facie decori et formosi comati et coma flaui. liberales animo hylares et iocundi. et potissime saxones qui in predictis sunt precellentes. de quibus dicit ysidorus. Saxonum inquit gens in occeani finibus et littoribus constituta uirtute et agilitate agilis. vnde et sic appellata. eo quod

1. *l.* a lemanno. *ich will jedoch weiterhin nur die wichtigeren fehler anmerken.* 2. *l.* ubi 3. *am rande* Nota bene. 4. *Isidorus sagt origg.* 14, 4, 4 propter fecundidatem gignendorum populorum Germania dicta est, *wie auch nach Paul. Diac.* 1, 1 tantae populorum multitudines *ursache sind* ut generali vocabulo Germania vocitetur. *also* Germania *von* irman *volk,* Germanus *auf deutsch* gairmans *volksgenofs.*

valentissimum sit genus hominum. prestantius ceteris priuatis. Non enim per terram solum suis hostibus sunt infesti. verum et per mare illis qui se molestant. ac si essent saxei sunt inportabiles atque duri. quorum terra est ualde fructifera. aquis et fluminibus optimis irrigua. in ipsorum eciam montanis effodiuntur fere omnia metalla preter stagnum. Sunt et alie prouincie in utraque germania que non sunt minus laude digne. ut sunt Austria. Bawaria. Circa danubium. Franconia. Sweuia. Alsacia. circa renum. et multe alie quas per singulas enumerare esset tediosum. Angli[1] processerunt quorum progenies et successio. Britannicam insulam[2] quorum linguam et mores anglorum gens usque[3] inpluribus imitatur. Vt dicit Beda in libro de gestis Anglorum. Quere infra littera scilicet[4] de Saxonia.

## De Anglia. xiiij. Capitulum.

Anglia occeani est insula maxima que circumfusa mari a toto orbe vndique diuisa. que quondam albion ab albis rupibus alonge circa maris litora apparentibus est uocata quam succedente tempore. quidam proceres de Troge excidio discedentes facta classe palladis ut fertur oraculo ad predicte insule littora peruenerunt. qui cum gygantibus qui tunc terram possederunt diucius pugnantes arte pariter et uirtute insulam superatis gigantibus suo dominio subiecerunt. et abruto qui illius exercitus erat princeps. terram vocauerunt Britanniam. quasi insulam abruto tunc temporis armis et potencia acquisitam. A cuius Bruti prosapia reges potissimi processerunt. quorum opera magnifica. si quem audire delectat hystoriam Bruti legat. Illa autem insula post longa tempora a saxonibus germanicis multis et varijs interuenientibus seuissimis prelijs est acquisita. et a suis posteris est possessa. qui Britonibus uel mortuis uel exulatis insulam inter se diuiserunt. et singulis prouincijs secundum lingue sue proprietates nomina imponentes lingue[5] gentis sue memoriam reliquerunt. Vocantes insulam Angliam ab Engela regina. clarissimi ducis Saxonum filia. que illam insulam post

1. *fehlt etwas; vielleicht* Ex Saxonia Angli 2. *fehlt etwa* habitat
3. *fehlt* hodie 4. *l.* littera S 5. lingue *zu streichen.*

multa prelia pt⁹ [1] possedit. ysidorus tamen dicit. Angliam ab angulo dictam quia [2] terram in fine uel quasi mundi angulo constitutam. sed beatus Gregorius. videns Anglorum pueros rome venales tempore paganorum. Audiens quod essent angli. alludens patrie vocabulo respondit. vere inquit sunt angli quia wltu niteut ut angeli. illis oportet uerba annunciare salutis. Nam ut dicit Beda. ter auita nobilitas adhuc in puerorum wltibus resultabat. de hac insula dicit plinius multa, similiter et Orosius. Sed ysydorus summatim tangit expressiua que alij obscurius retulere. [3] Britannia que scilicet nunc dicitur Anglia est insula que [4] contra aspectum Gallie et hyspanie sita circuitus eius obtinet Quadragies octies. lxxv. milia. multa et magna flumina sunt in ea fontes calidi. metallorum et larga copia gagades latis [5] ibi plurimus et margarita. gleba optima. et diuersis fructibus valde apta. ibi oues lanigere in precipua habundancia. ibi ferarum et ceruorum multitudo nimia inuenitur. pauci lupi uel nulli in insula reperiuntur. et ideo oues que ibi maxime habundant tucius in caulis et pascuis sine custodia relinquuntur. Vt dicit Beda. Vnde quidam describens insulam Anglicanam metrice sic dixit [6]. Anglia terra ferax et sterilis angulus orbis. § Insula prediues que toto vix eget orbe. § Et cuius totus indiget orbis ope § Anglia plena locis nec non gens libere [7] mentis. Item liber [8] lingua. sed lingua melior liberior que [9] manu. multas alias prosequitur gentis et insule dignitates. quas hic interponere esset longum. quere infra de Britannia.

## De Brabancia xxv. capitulum.

Brabancia germanie finalis est insula, que gallie bellice [10] est contigua. habens Renum ab oriente et frigiam [11]. Britannicum occeanum et Flandricum sinum siue [12] ab aquilone inferiorem galliam ab occidente superiorem uero Franciam a meridie. quam Acupius famosa preterfluit multa habens opida et famosa. terra fertilis in frugibus populosa. gens elegantis

1. *l.* patris 2. *l.* quasi 3. *am rande* Nota 4. que *zu streichen.* 5. *l.* lapis 6. *am rande* Nota 7. *l.* libera 8. *l.* libera 9. *d. h.* liberiorque 10. *l.* Belgicae 11. *d. i.* Frisiam 12. siue *zu streichen.*

stature et venuste forme bellicosa animosa contra hostes. Inter se autem placita et quieta.

## De Bohemia. xxx. Capitulum.

Boemia pars est messie[1] ad plagam orientalem in quarta Germania posita in Europa que a montibus maximis et siluis densissimis et altis vndique circumscripta a Germania et pannonia et nacionibus aliis per montes siluas et flumina est diuisa. Est autem regio moncium altitudine in plurimis sui partibus ualde firma camporum et pratorum planicie conspicua facie celi saluberrima gleba fortissima. in vineis habundans et annona in auro argento stagno alijs metallis ditissima. fontibus et fluuijs irrigua. Nam terram irrigat. albia fluuius nobilissimus qui in montanis oritur Boemorum. similiter et multa quasi[2] preterfluit Bragam regiam ciuitatem. In eius montibus habundant pini et abietes, habundant et herbe innumerabiles non solummodo. pascuales. verum eciam aromatice et medicinales ibi diuersorum generum habundant. fere innumerabiles. scilicet vrsi. apri. Cerui capreole. Trugelaphi Bubali seu Bisontes. et inter has feras est quedam habens magnitudinem bouis. Hec bestia ferox est et seua et habet magna cornua et ampla. cum quibus se non defendit. sed habens sub mento amplum folliculum in ipso aquas recolligit et cursando aquam miro modo in illo folliculo calefacit. quam super venatores seu canes sibi nimis appropinquantes proicit et quicquid tetigerit depilat horribiliter et exurit. et hoc animal lingua Boemica loth nuncupatur Hec terra circuitur ex parte orientis mazouia et pannonia. Ex parte Euri. aquilonaris Polonia. ex parte uero meridionali Austria. Ex parte occidentis Bauwaria Germanica et Missenensi marchia circumdatur et ambitur.

## De Franconia. Capitulum Lvi.

Franconia germanie est prouincia in Europa a francis illius regionis incolis nominata. cuius Metropolis Herbipolis est nominata sita super ampnem. Mogum. Ab oriente habet

1. *d. i.* Moesiae 2. *l.* Mulda quae

Thuringiam Saxonum. A meridie Danubium et Bawariam. Ab occasu Sueuiam et Alsaciam. a septemptrione. Renensem.[1] cuius Metropolis est Moguncia. sita super Renum quem Mogus ibidem subintrat. Est autem terra optima fecunda frugibus et viniferis. siluis decora. opidis et castris munita. et plurimum populosa.

## De Flandria Capitulum Lviij.

Flandria est prouincia Gallie Belgice iuxta litus occeani. constituta apud[2] Germaniam. ab occidente (*so*) insulam Britaniam a septemptrione. Ab occidente mare gallicum A meridie Galliam Senonensem et Burgundiam. Hec prouincia quamuis situ terre sit paruula. multis tamen bonis singularibus est referta. Est enim terra pascuis vberrima. et armentis et pecudibus plena. nobilissimis opidis et portibus maris inclyta. Ampnibus famosis. scilicet Scandaleia undique irrigua. et perfusa. gens eius elegans corpore et robusta. multiplex in sobole et in substancia. in omnium mercium diuicijs locuplex. Venusta facie generaliter et decora. affectu pia. Affatu blanda. gestu matura. habitu honusta. erga domesticos pacifica. erga extraneos valde fida. Arte et ingenio. in opere lanifico preclara. per cuius industriam magne parti orbis in lanificis subuenitur. § Nam preciosam lanam quam sibi Anglia communicat in pannos nobiles subtili artificio transmutans. per mare per terras multis regionibus amministrat. § Est autem terra plana et frugifera in[3] in multis locis multas quidem arbores. non tamen multas siluas. gaudet quibusdam locis palustribus in quibus effodiuntur glebe que siluarum supplent defectum quo ad ignium incrementum. Nam ex hijs calidus et fortis ignis solet fieri magis efficax quam ex lignis. sed inutilior et vilior quo ad cinerem grauior quo ad redolenciam et odorem.

## De Frigia. Capitulum. Lxi.

Frisia est prouincia afinibus inferioribus germanie super litus occeani tractu longissimo constituta. que a fine Reni

1. ? 2. *l.* habet 3. *l.* habet

incipit et mare danico terminatur. cuius incole Frisones a germanicis nuncupantur. In habitu autem et moribus plurimum differunt a germanicis. Nam viri fere omnes in coma circulariter sunt attonsi. qui quanto sunt nobiliores tanto altius circumtonderi gloriosius arbitrantur § Est autem gens viribus fortis proceri corporis seueri animi et ferocis. Corpore agilis. lanceis utens ferreis. pro sagittis. terra plana. pascuosa palustris et graminosa lignis carens pro ignium fomento. terre bituminosis cespitibus sepe utens. gens quidem est libera. extra gentem suam alterius dominio non subiecta. morti se exhibent gracia libertatis. et pocius mortem diligunt quam iugo opprimi seruitutis ideo militares dignitates abnuunt. et aliquos inter se sublime [1] non permittunt. sub milicie tytulo subsunt. Tamen [2] iudicibus quos annuatim de se ipsis eligunt. qui rem publicam inter ipsos ordinant et disponunt. castitatem multum celant [3] et omnem inpudiciciam seuerius punientes filios suos. et filias ad conpletum fere adolescencie terminum fere castas seruant ex quo contingit quod tunc temporis dato nuptui temporum soboles prolem conpletam generant [4] et robustam.

## De Gothia. Lxxi.

Gothia Sicie inferioris est prouincia in Europa. que ut creditur a Magog filio Iaphet est uocata. ut dicit ysidorus libro. ix. Vnde dicit quod illas naciones magis Gethas quam Gothos nominauerunt. et fuit quondam gens fortissima mole corporum. ingens armorum. genere terribilissima. de quorum sobole maxima pars Europe et Asye. creditur populata. § Nam eorum soboles sunt daci et multe alie naciones ex parte occidentis. Getuli in Affrica. Amazones in asya. ex Gottorum prosapia processerunt. vt dicit idem. libro. ix. et xv. § Est autem usque hodie regio latissima ab aquilone habens Nouergiam ac daciam. in alijs eius lateribus mari occeano circumdatur. Huic regioni adiacet insula quedam nomine Gothlandia. Gottorum terra dicta quia a Gotts (*so*) antiquitus fuit habita. et est insula frugifera pascuosa plurimum et

1. *l.* sublimes 2. titulo. subsunt tamen 3. colunt?
4. *l.* data nuptui soboles pr. c. generat

piscosa et multiplici genere mercium maxime negociacionis. Nam varie pelles et ceterarum[1] copie de regionibus diuersis ad illam insulam nauigio deferuntur. et inde in germaniam Britaniam et Hyspaniam per occeanum deducuntur.

## De Karinthia. Capitulum. Lxxxiij.

KArinthia prouincia est modica germanie in Europa. Habens Pannoniam ab oriente. ab occidente ytaliam. Danubium a septemtrione. Dalmaciam et Salmoniam a meridie. montibus in vna parte cingitur. et in alia mari adriato terminatur et est terra fertilis in multis locis. habundans feris pecudibus et iumentis. gens bellicosa et fortis. munita in opidis et in castris. § Est autem terra propter alpium vicinitatem frigida. niuibus et pluuijs frequens. ubi propter frigiditatem aquarum a niuibus solutarum circa montana. plurimi sunt strumosi ut dicitur. ibi ursi multi. Bisontes et alie bestie mirabiles. et siluestres. ibi eciam sunt glires comestiales. qui quamuis uideantur esse de genere murium comeduntur tamen. quia habent carnes sapidas atque pingues.

## De Liuonia. Capitulum. LXXXViij.

Liuonia est eiusdem[2] regionis ydiomatis prouincia specialis que longo maris occeani interiectu a finibus germanie est diuisa cuius incole Liuones vocabantur. quorum ritus fuit mirabilis. antequam acultura demonum ad unius dei fidem et cultum per germanicos cogerentur. Nam deos plures adorabant. prophanis et sacrilegis sacrificijs responsa a demonibus exquirebant. augurijs et diuinacionibus seruiebant mortuorum cadauera tumulo non tradebantur. sed populo facto rogo maximo usque ad cineres conburebant.[3] post mortem autem suos amicos uestiebant et eis pro viatico eius[4] oues et boues et alia animancia exhibebant seruos et ancillas cum aliis rebus incendebant credentes sic incensos ad quandam viuorum regionem feliciter pertingere. et ibidem cum pecorum et seruorum sic ob graciam domini conbusto-

1. *l.* ceterae 2. *das vorhergehende cap. handelt* De Lectouia (*Litthauen*). 3. *l.* a populo — conburebantur 4. *l.* et pro viatico eis

rum multitudine felicitatis et uite temporalis patriam inuenire. Hec patria tali errore demonum antiquissimo tempore fascinata. modo in parte magna cum multis regionibus subditis uel annexis. procedente gracia[1]. et cooperante germanorum potencia iam creditur a predictis erroribus esse liberata.

## De Lothoringia. Capitulum. xci.

Lothoringia germanie est quasi vltima et finalis prouincia a rege Lotario nominata. Hec ab oriente habet Reciam. siue[2]. Brabanciam. A meridie. Renum et Alsaciam. sub occidentem galliam senonensem. A septemptrione Galliam Belgicam. Hanc Mosa fluuius preterfluit. in hac ciuitas Metis consistit. § Est autem regio inmultis locis fructifera vinifera. fontibus et ampnibus irrigua. montuosa siluestris et nemorosa feris pecudibus et armentis fecunda. gens est mixta gallicis et germanicis. fontes habet mirabiles et medicinales. ex quorum potu languores varij sanantur.

## De Myssena. Capitulum. Cij.

Myssena germanie est prouincia. ab urbe que Myssene dicitur sic vocata. cum Bohemia coniuncta et polonia. In solis ortu cum Bawaria In meridie cum Saxonibus. etTuringis in occidente. cum Retia et t'inis Reni[3] a septemptrione. et est terra ampla et spatiosa. nunc plana nunc montuosa. fertilis multum. et pascuosa aquis optimis irrigua. Nam nobili fluuio Albie pro maiori sui parte per eius longitudinem est perfusa ciuitates habet fortes et opida et castra habet forcia et munita cuius gens locuples[4] est generaliter in diuicijs frugibus et pecudibus et metallis. et cum sit populus magne pulchritudinis et fortitudinis et elegantis proceritatis.[5] § Est autem gens benigna et pacifica ex natura minus germinatis. habens in omnibus feritatis.[6]

1. *l.* dei gracia 2. Reciam. siue. *zu streichen.* 3. ? 4. *aus* locuplex *gebeſsert.* 5. *fehlt der nachsatz.* 6. [*vielleicht* minus Germanis habens omnibus feritatis. *H.*]

## De Norwegia capitulum. Cv.

Norwegia latissima est Europe. prouincia mari fere vndique circumcincta. sub aquilone distenta. Gotorum regionibus coniuncata[1] § Nam a parte meridiana et orientali per quendam fluuium qui albia dicitur est diuisa a Gothia. Est autem regio asperrima et frigidissima. montuosa. siluestris et nemorosa. cuius incole plus de piscatura et venacione viuunt. quam de pane. Nam rara est ibi annona. propter frigoris magnitudinem. ibi fere multo ut albi vrsi. ibi eciam sunt fibri qui et castores dicuntur. mira sunt ibi multa et monstruosa. fontes enim sunt ibi quibus omne impositum corium siue lignum statim in lapidem commutatur. in eius aquilonari parte non uidetur sol occumbere in estiuali solsticio per plures dies. nec eciam videtur sol ibidem per totidem dies in Solsticio hyemali. Vnde tunc temporis oportet incolas terre operari cum candelis. frumenti. vinei. et olei expers est nisi aliunde deferantur. gens autem ingentis corporis est stature et pulchre forme et magne fortitudinis. ac robuste. Validi sunt pirate et animositatis magne. Ab oriente habet galaciam.[2] a septemptrione Irlandiam. Vbi mare perpetuo congelatur. ab occidente et hybernicam occeanum et Britannicum. A meridie Dacia et Gothie finibus terminatur.

## De Olondia. Capitulum. Cx.

Olondia est quedam prouincia modica sita iuxta hostia Thema[3]. vbi intrat mare Brabancie contigua a meridie vicina frigie. Ab oriente occeano. vnde Britannice coniuncta ab aquilone inferiori gallie bellice est propinqua atque Flandrie ab occidente § Est autem terra palustris et aquosa. fere ad modum insule. vndique maris brachijs. atque Reni fluminis circumfusa. Habens lacus et stagna multa et pascua valde bona. et armentis pecudibus et iumentis est referta. eius gleba inlocis plurimis est valde frugifera. et in pluri-

1. *l.* coniuncta *oder* conuicina [*oder* continuata *H.*] 2. *cap.* 131 De Ruthea (Ruthenia) . . . Hec aquadam parte sui Galacia est vocata et eius incole quondam Galathe vocabantur. quibus dicitur Paulus apostolus dixisse epistolam direxisse. 3. *l.* Rheni

bus eciam nemorosa plures et vtiles habens venaciones. in pluribus eciam est butinosa.[1] ex qua formatur materia apta ad ignium nutrimenta. et est terra diuicijs que transeunt per mare et per flumina multum opulenta. cuius ciuitas Traiectum inferius nuncupatur in latino. huztreht vero dicitur in ydiomate germanicorum. ad germaniam enim pertinet. quo ad situm. quo ad mores quo ad dominum. et eciam quo ad linguam. cuius gens elegans est corpore. robusta viribus. audax animo. venusta facie. honesta in moribus. deuota deo. fida hominibus et pacifica. minus predis intendens et raptibus quam alie germanice naciones.

## De Rencia.[2] Capitulum. Cxxv.

Rencia Renensis est prouincia regio scilicet quam Renus circumfluit ac perfundit. sic dicta eo quod sit iuxta Renum. ut dicit ysidorus libro. xv. et est terra habens multas ciuitates. et opida ualde firma. cuius gleba est frugifera et vinifera in multis locis. gens fortis et animosa in uita et in moribus conuenienciam habens cum germanicis non tamen ita inhyat spolijs et rapinis.

## De Riualia. Capitulum. Cxxvi.

Riualia est prouinciola quondam Barbara distans cuius pars uironia est vocata. multum audax. Nunc autem est sub christi fide. regno dacie est subiecta. a virore sic dicta. eo quod sit graminosa et pascuosa in locis pluribus nemorosa. cuius gleba mediocriter est frugifera. aquis et stagnis irrigua a piscibus marinis et lacualibus est fecunda. Plures habens greges pecudum et armenta. Sicie vero partibus est coniuncta solo fluuio qui varna[3] a noricorum et Megardorum[4] regionibus est districta ut dicit Erodocus.

1. *l.* bituminosa 2. *der etymologie wegen aus* Raetia *entstellt. Fischart im glückhaften schiff* Rheintzierland. 3. *l.* narva, *und fehlt etwa* vocatur 4. *l.* Nagardorum

De Rinchonia[1] Capitulum. Cxxvij.

Rinchonia quedam est terra modica a ciuitate Maguntina. Cilia[2] super Ripam Reni inter montes protensa. usque ad opidum quod Pinguia nominatur. Vnde et a Reno qui per eius medium defluit Rinchonia est vocata et est terra quamuis modica in utroque Reni littore usque ad montium cacumina amena mirabiliter et fecunda. tante enim pulchritudinis est. et tam incredibilis fertilitatis quod tam ibi habitantes quam eciam per ipsam transitum facientes delectat et reficit. quasi ortus inestimabilis voluptatis. tam dulcem enim habet glebam et tam pingues (*so*). quod fructus et fruges mira fecunditate pariter et celeritate procreat et producit ineodem agro arbores pomiferas diuersi generis parturit et nuces gignit. et tandem[3] propter tantam fructuum multiformitatem fruges parere non obmittit. arborum eciam diuersitas vineta non impedit immo vnus et idem agellus pariter fruges. et vna nuces et poma. sorbas et pira. et multa alia habet[4] fructuum genera. producere consueuit fontes calidi et medicine corporum necessarij ibi de uisceribus terre oriuntur. multa alia habet commoda vite mortalium necessaria que recitare per singula esset longum.

De Saxonia. Capitulum. Cxxxix.

Saxonia prouincia est in germania cuius incole agrecis dicuntur contraxisse originem et partes ubi nunc habitant. nauigio aduenisse. Turingis qui tunc usque ad litus occeani habitant multis plus[5] sedes obtinuisse. gens enim semper fuit bellicosissima elegantis forme. procere stature. robusta corpore et audax mente. § Est autem Saxonia terra quo ad glebam fertilissima. frugum et omnium fructuum valde ferax. in montuosis nemorosa. in campestribus frugifera. et pascuosa. fecunda in gregibus et armentis opulenta. In argento. cupro et alijs mineris ac metallis. montes enim habet insignes. de quibus effodiuntur lapides qui igne fortissime resolutis in eris substanciam conuertuntur. Flumina hābet nobilissima et famosa. scilicet weriseram. Linriam. Albiam.

1. *l.* Rinchonia *Rheingau* 2. *l.* sita 3. *l.* tamen 4. habet *zu streichen.* 5. *l.* inuitis? [Turingisque tunc — habitantibus pulsis sedes obt. *H.*]

Salam atque Rodam. et multa alia que terram preterfluunt transalbinam. fontes habet salsos in multis locis. ex quibus sal albissimum et optimum decoquitur. ac paratur. Ciuitates habet plurimas fortissimas et munitas. forcia opida et castra. tam in campestribus quam in montanis. Iuxta montem autem ubi cuprum foditur inuenitur mons magnus cuius lapides redolent sicut viole. In aliquibus eciam montibus inuenitur marmor valde pulchrum et hoc potissime iuxta cenobium quod lapis sancti Michahelis nuncupatur. in illis montibus maximus est concursus ferarum et bestiarum. Aprorum. Vrsorum. Ceruorum et damularum et ideo in illis montibus nemorosis multa venacionum genera exercentur. Hec et multa alia laude digna in Saxonum regionibus inueniuntur. quere supra de Germania in littera. G. et[1] inlittera. A de alemannia. Habet autem Saxonia Boemiam et Poloniam. Ab oriente. Westiualiam aboccidente. Frisonum lacus ad occeanum. a septemptrione. Thuringorum uero gentem et Francorum a meridie. cuius gens fortis inclita usque hodie perseuerat. ut dicit Erodocus.

## De Selandia Capitulum Cxliij.

Selandia maritima ad modum insule. flumine et maris brachijs circumdata. habet autem Hollandiam ab oriente. Flandriam a meridie. occeanum ad occidentem. Britanniam ad septemptrionem. Sunt autem plures ibi insule parue et magne brachijs maris separate ab inuicem. et disiuncte et sunt ille insule fortissimis aggeribus accincte in circuitu contra maris impetum et munite. quarum glebe sunt valde fertiles quo ad segetes. sed quo ad arbores est quasi nuda. Non enim possunt arbores propter maris salsugine (*so*) profundare suas radices. et ideo post plantacionem cito deficiunt et arescunt § Est autem Selandia valde populosa. diuicijs opulenta varijs gens magne stature fortis corpore. et audax mente. circa cultum dei deuota inter se pacifica et quieta. multis benefica. nullis molesta. nisi quando hostium insolencie resistere est coacta.

1. in littera G. et *zu streichen.*

## De Swecia Capitulum Cliij.

Swecia regio est inferioris Sycie in Europa. a qua tota Gothia que inter danorum et Noricorum aquilonarium regna regio est maxima hodie nominata. Habens Balcicum mare ab oriente. occeanum Britannicum ab occidente. Noricorum prerupta et populos. a septemptrione. a meridie vero datorum confinis terminatur. § Est autem Swetia que et Gothia est vocata. quo ad solum frugifera. Vinearum tamen expers. sed in pascuis vberrimis alios defectus recuperat et metallis. § Nam preter divicias quas illa regio ex mari multipliciter contrahit. in feris pecudibus et iumentis. in argenti fodinis et alijs lucris mineris multas regiones alias preexcellit. gens valde robusta. cuius militaris potencia. quondam fere tocius asie et Europe partem maximam multis temporibus edomauit. quos aggredi tempore Alexandri magni grecorum audacia extimuit. Iulij etiam cesaris inuicta potencia superatis. Gallicis. Almanicis et Britannicis cum Danis et Gothis Noricis et Aquilonaribus proprijs [1] alijs congredi formidauit. secundum quod tradunt scriptores hystorie tam grecorum quam eciam Romanorum. quorum dictis potest et debet merito [2] adhiberi. in quibus sicut nec religiosi [3] fidei nec eciam racioni poterit obuiari in aliquo ut Ieronimus. illorum inquit poetarum et scriptorum scriptis et dictis fidem adhibere conuenit. quorum relacio fidei moribus non preiudicat nec mercati [4] agnite contradicit. Ex istorum prosapia. Amazones processerunt. Vt dicit Orosius. et ysidorus libro xv.

## De Sweuia Capitulum Cliiij.

Sweuia Germanie Renensis est prouincia in Europa. cuius gens habere maximum dominium in Germania consueuit. Vt dicit ysidorus libro. xv. dicit autem idem in capitulo de vocabulis gencium libro. ix. Sueui inquit sunt pars Germanorum in fine Septemptrionis de quibus dicit Lucanus. Fundit ab extremo flauos. Ab aquilone Sueues [5] equorum [6] fuisse.

1. *l.* populis 2. *l.* ueritas 3. *l.* scilicet nec religiosae 4. *l.* ueritati 5. Fundat ab extremo flavos aquilone Suevos *Lucan.* 2, 51. 6. quorum *oder* et quorum

c. pagos et populos multi crediderunt. § Dicti autem sunt Sueui a Sueuio monte qui ab ortu Germanie ortum habet. et illius montis loca et confinia primitus coluerunt. vt dicit idem. § Item ut dicit idem. ab ortu habet Danubium cum Bawaria. Ab occasu Renum cum Alsacia. A meridie Iugera Alpium cum ytalia. a septemptrione Franconiam in inferiori[1] Germaniam. et est duplex Sueuia. Inferior contra Renum. Superior contra alpes et danubium vtraque est terra optima et frugifera et vinifera in multis locis. habens ciuitates munitissimas opida et castella. circa campestria et montana ampnes et flumina nemora multa. gramina et pascua. ouium greges et armenta. circa montana eciam ferrum habet. et argentum procreat ac metalla. gens populosa nimis fortis. audax et bellicosa. procera corpore. flaua crine. venusta facie et decora.

## De Thuringia Capitulum. Clvi.

Thuringia Germanie est prouincia media inter gentem Saxonum et Francorum et Westfalorum. habet enim Boemos Saxones ab oriente. Francones et Bawaros a meridie. Sweuos et Alsaticos ab occidente. Renenses Westfalos ab aquilone. § Gens siquidem secundum nomen patrie Thuringia idest dura contra hostes maxime seuera. est enim populus numerosus elegantis stature. fortis corpore. durus et Constans mente. habens terram montibus fere vndique circumvallatam et munitam. Interius vero planam valde frugiferam. a venenis[2] eciam non expertem. opida multa. castra forcia non solum in montanis. Vnde[3] eciam per plana. ampnibus stagnis lacubus irrigua. aere saluberrima. pabuli libertate gratissima. Armentis et gregibus valde plana. in eius montibus diuersa inueniuntur mineralia et metalla ut dicit idem Erodocus. qui nullatenus permisit secreta Germanie confinia inscrutata.

## De Westfalia. Capitulum Clxx.

Uvestfalia germanie inferioris est prouincia. habens Saxoniam ad orientem. Thuringiam et Hessiam ad meridiem. Re-

1. *l.* et inferiorem 2. amoenitatis? 3. *l.* sed

num et Coloniam ad occidentem. occeanum et Frisiam ad aquilonem. Nobilissimis duobus fluminibus in eius extremitatibus cingitur. scilicet viscera atque Renonam.[1] Renum tangit versus occidentem terra multum nemorosa pascuosa. plus alendis gregibus quam ferendis frugibus apta. multis fontibus et ampnis est irrigua. Lippia scilicet atque Rura et multis alijs fontes habet salis. et montes fertiles. in metallis habundat terra. fructibus. glandibus. nucibus atque pomis. eciam feris. porcis pecudibus et iumentis. populus communiter elegantis stature est et procere. Venuste forme et fortis corpore et audax mente. miliciam habent copiosam ac mirabiliter animosam. promptam ad arma continue et paratam. ciuitates habet fortes. et munitas castra fortissima et opida tam in montibus quam in planis.

De Vironia. Capitulum. Clxxi.

Uironia prouincia est paruula. Ultra daciam versus orientem a virore dicta eo quod sit graminosa et nemorosa multis aquis et fontibus perfusa cuius gleba est frugum ferax gens quondam Barbara seua incomposita ac inculta. Nunc vero Danorum regibus pariter et legibus est subiecta terra vero tota est a Germanicis et Danis pariter habitata. quere supra in littera R. de Riualia. § Hec terra Anagardorum[2] gente et Rutheorum per fluuium maximum qui Narwe dicitur est separata.

De Winlandia[3] Capitulum Clxxij.

Uvinlandia est patria iuxta montana. Norwegie versus orientem sita super litus occeani protensa non multum fertilis nisi in graminibus et insiluis. gens eius est Barbara. agrestis et seua. magicis artibus occupata. Vnde nauigantibus per eorum littora uel apud eos propter venti defectum moram contrahentibus. uentum venalem offerunt atque vendunt. globum de filo faciunt et diuersos nodos in eo connectentes usque ad tres nodos. uel plures de globo extrahi precipiunt.

1. *l.* Reno. nam 2. *d. i.* a Nagardorum 3. *l.* Vinlandia = Finlandia

secundum quod voluerint ventum habere forciorem. quibus propter eorum incredulitatem illudentes demones concitant et ventum maiorem uel minorem excitant secundum quod plures nodos de filo extrahunt uel pauciores et quandoque dictum commouent uentum quod miseri talibus fidem ahibentes iusto iudicio submerguntur.

## De Yselandia Capitulum. Clxxiiij.

Yselandia est regio ultima in Europa a septemptrione vltra Norwegiam. sita perpetua glacie in remocioribus eius finibus condempnata protenditur. sunt[1] super litus occeani maris versus septemptrionem vbi mare pre nimio frigore congelatur. ab oriente habens siciam superiorem. ab austro Norwegiam. ab occidente occeanum Hybernicum. ab aquilone mare congelatum et est dicta yselandia. quasi terra glaciei. eo quod ibi dicuntur esse montes iuncti[2] glaciei duriciem congelati. ibi cristalli inueniuntur. § In illa eciam regione sunt albi vrsi maximi et fortissimi qui vnguibus glaciem rumpunt. et foramina multa faciunt. per que in mari se submergunt. et sub glacie pisces capientes. eos extrahunt per foramina predicta et ad litus deferentes inde viuunt terra est sterilis quo ad fruges exceptis paucis locis in quorum vallibus vix crescit auena gramina tantummodo et arbores in locis ubi habitant homines parturit et producit. et in illis[3] partibus feras gignit et iumenta nutrit. Vnde de piscibus et venacionibus et cornibus[4] pro maiore parte populus uiuit. oues pre frigore ibi uiuere non possunt. et ideo incole de ferarum et vrsorum pellibus quos venatu capiunt. contra frigus se muniunt et corpora sua tegunt. alia uestimenta habere non possunt nisi aliunde deferantur. gens eciam multum corpulenta. robusta et ualde alba.

WILH. WACKERNAGEL.

1. sunt *zu streichen.* 2. *fehlt* in [cuncti in? *H.*] 3. *l.* aliis
4. *l.* carnibus